

MELETEM. CATECHETICA. 1155

QUÆST. 123. Quæ est secunda petitio?

RESP. Veniat regnum tuum: hoc est, regas nos ita
verbo & spiritu tuo, ut nos tibi magis
magisq; subjiciamus: conserva & auge
Ecclesiam tuam, destrue opera Diaboli,
omnemq; potentiam se adversus maje-
statem tuam efferentem, irrita fac o-
mnia consilia, que contra verbum tuum
capiuntur, quoad plenè tandem ac per-
fectè regnes, cum eris omnia in omni-
bus.

Duo nobis in omni vita sunt spectanda & se-
dulò quærenda:

Gloria Dei & salus Ecclesiæ.

Scopus hic est nostræ Electionis, Crea-
tionis, Redemptionis, Sanctifica-
tionis & totius vitæ. Ephes. 1. & 2.
1. Cor. 6. & 10. &c.

Et quidem omnium hoc est officium:
in primis procerum in republi-
ca & Ecclesia.

Idque fiat ardentissimè omni loco
& omni tempore; ubicunq;
agamus, in quolibet vitæ
statu.

Docet id Salvator noster in sua Oratio-
ne: dum primo omnium jubet nos
nominis Dei sanctificationem o-
ptare.

Nunc salutem quoq; Ecclesiæ quære-
re per regni Dæi adventum,
præcipit.

Dddd 2